clamore et ululatione turbârunt, turbatos
fugârunt, fugatos dentibus læserunt, læsos
in magnum vitæ discrimen iecerunt, quorum
fortitudinem etiam insinuavit Deus Optimus
Maximus cuius oculus omnia penetrat et alter
Lynceus appellari potest, cum, Gedeone
iudice et Israëlitarum populi sui duce, contra
Madianitas milites triarios, strenuos, generosos,
et fortes eligere vellet: quos vero electos
esse putatis Auditores Opt.: an avidè hostium
cruorem sitientes vultuque minaces? an loricatos in
ære latentes et radiante galea tectos? an terribiles
clypeos ostentantes flammeoque mucrone circumdatos?
nequaquam, sed eos solummodo, qui sicut canes
sitientes aquas lambebant. si verò necdum canum
robur sufficienter probatum est, prodeat Cælius
senatorum dignitate illustris et cuius pedem media
lunula exornabat, adesto inquam qui Placentiæ
ab armatis Martis satellitibus incautus exceptus
es? quomodo te defendisti? Palladis Ægidem

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 233r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/233r)